

tione cujus optandum esset, quia formulæ ejus ad hunc scopum usuales, plerumque sola generalia continent, non satis adæquata, nec ad officium Medicorum, Pharmacopæorum, Chirurgorum, Obstetricum &c. exacte restrictæ, ut hoc ex aureo HIPPOCRATIS *jurejurando*, libro de *decenti ornatu* §. 5. excerptis solum necessariis, mutatis quoque mutandis, adornetur. Optandum quoque esset, ut Cel. viri JOH. H. MEIBOMII doctissimi Commentatii, doctrina & rerum huc spectantium usu, omnibus aliis præeminentes, a Medicis frequentiore in usum adhibeantur. De quibus ad judicium aliorum sincerum, quoad *jurisjurandi* vero HIPPOCRATIS usum, hodie adhuc summe necessarium, ad magni CONRINGII (g) inquentis: *extat hodieque illud insigne vetustatis monumentum quo dubites, sanctius ne quid, aut doctius, aut prudentius excogitari possit, egregium judicium provoco.*

§. XI.

Decorum s. morum integritatem me (3) non frustra in Medico quæsisse spero; siquidem vulgata nimis ævi nostri iniquitas & imprudentia eo devenit, ut juxta BOHN. (h) *nemo magis quam Medicus, se suaque facta cujusvis censura submittere adigatur, aut quid hodie frequentius, quam quod aureum illud SYRACIDIS (i): honora Medicum &c. plerumque, invidia, calumniis, ingratitude, prosequere Medicos etiam insontes ac de R. P. optime meritos, vertatur. Contra quæ precibus, fiduciaque in summum suum Tutorem, officii, animique sui integritate, & omnibus aliis, mediis licitis, ut Medicus, se urgente necessitate, muniat prospiciatque, ante omnia necesse. Verum cum præclariss. BOHN. erudite & prolixè de decoro medico jam egerit, paucis mentem meam proferam. Medicus recte faciendo, judiciorum sin-*

strorum

(g) Antiquit. Academic. Diss. 2. p. 52. (h) de officio Medici Clinicæ & Forens. part. 1. c. 4. p. 45. (i) 1. c.